



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XXVI. Volenti Deum perfectè diligere, proscribendam ex animo, ac mente bonam omnem æstimationem sui esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

apud perfectum DEI amatorem momenti; utpote qui minimè indiget ab interioris suæ quietis respectu, ad mentem quàm arctissimè coërcendam impelli, pro sat valido ad hujusmodi severitatem incitamento, & stimulo habens, quòd sciat, quantò minus libertatis ei permiserit, tantò ad intimam cum DEO conjunctionem se aptiorem futurum.

CAPUT XXVI.

Volenti DEUM perfectè diligere proscribendam ex animo, ac mente bonam sui existimationem esse.

Quam delectabile homini ex innato propriæ excellentiæ appetitu sit, præclaram de se ipso opinionem habere, & in simili apud reliquos mortales existimatione esse, nemo est, quin ex domestico suo sensu comperitissimum habeat. Sed nemo itèr est, quin facillè possit advertere, quantam prædicta delectatio vim obtineat, eundem à DEI obsequio avocandi: utpote quæ in cujuslibet expertentis se animum pestilentissima duo super-

perbiæ, & inanis gloriæ vitia introducit: efficiens, ut bona sua aspiciat quasi rem propriam, & unde honor sibi potius, quàm Deo debeatur: ut quantò suis viribus, opibusque fidit magis, tantò minùs DEO egere se credat, neque, qua par est, sedulitate illius auxilium imploret: ut suis in operibus non tam DEO placere, quàm hominibus studeat, quacunque illius leges paratus infringere, ut horum sibi approbationem, plausus, gratiam, & famam conciliet: ut denique antestare omnibus velit, omnes præ se flocci pendat, deque omni aliorum excellentia non secùs ac de sui depreffione mœreat: effectus omnes, quàm divinæ charitati repugnent, eamque non imminutum solùm, sed funditus quoque sublatum eant, supervacanei operis foret et professo demonstrandum suscipere, tanquam si non abunde per se ipsum pateret. Præterquam quòd existimationis propriæ amor, quamvis nullum in anima pestiferorum ejusmodi germinum pareret, quis tamèn non videt, quantum illi vel duntaxat ex se ipso impedimenti afferat, nè DEUM toto corde, omnibusque suis viribus diligit? Dum juxta D. Augustini observationem efficit, ut quisquis eum fovet, pro eo ut DEUM unum pro

pro scopo suarum omnium cogitationum, & affectuum habeat, sese potius circumspiciat, suis delectetur seu imaginariis, seu in majus effectis dotibus, inque se ipso suum sibi finem, & alterum quasi DEUM constituat. *Quid est superbia, (ait S. Doctor) nisi perversa celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui animus inhære debet, principio, sibi quodammodo fieri, atque esse principium. (L. 14. de Civ. c. 13.)*

2. Nemini ergo superesse dubium potest, quin verus DEI amator omnem adhibere industriam debeat, ad hunc propriæ existimationis amorem charitati contrarium, penitus suo è corde excludendum, nunquam illius appetitui obsecundans; sed potius, juxta universalem à nobis jam positam regulam, semper, & ubique contraria omnino iis eligens, ad quæ ille propendet: adeò ut si illius sectatores eximii, & præstantes videri tum sibimet ipsis, tum cæteris quibusque hominibus velint, nullasque artes, quæ ad hunc finem conducant, non adhibeant, quàm hilares, & beati, quoties eum consequuntur, tam tristes, & miseri, si secus fors acciderit; diversa ipse prorsus ratione abjectissimi homuncionis instar tum sibi apparere, tum cuivis alteri velit,

omni industria, & conatu id assequi studens, neque unquam seu lætior, quàm cum vile illud schema in opinione omnium præfert; seu magis animo æger, ubi homines splendidiorem aliam illius speciem mente conceperint.

3. Atque hujusmodi sanè est Evangelicæ illa humilitas, quam illustribus adeò præconiis sacri Doctores certatim exornant. Cum ab aliis, ut à D. Hieronymo (*Ep. ad Eustoch.*) *Prima Christianorum virtus* vocetur: ab aliis, ut à D. Cypriano, (*De Nativ. Chr.*) *Primus Religionis introitus, sicut in mundum Christi ingressus, & quicumque piè vult vivere humiliter de se sentiat, neque supra se in mirabilibus ambulare præsumat.* Ab aliis, veluti à D. Bernardo, (*Serm. I. de Nat. & L. 5. de Confid.*) *Fundamentum, custosque virtutum. Nempe, si nutet illa, virtutum aggregatio non nisi ruina est.* Ab aliis præcipua, imò unica, per quam ad Christum, æternam veritatem perveniatur, via, ut à S. Augustino, qui in Epistola ad Dioscorum, commodans ipsi celebrem Demosthenis actione oratoria sententiam: (*Ep. 56.*) *Nam aliam tibi, scribit, ad obtinendam veritatem viam munias, quàm que munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam DEUS videt infirmos.*

tatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas: & quoties interrogares, hoc dicerem: non quod alia præcepta non sint, quæ dicantur, sed, nisi humilitas omnia, quæ benefacimus, & præcesserit, & consecuta fuerit, iam nobis de aliquo bono factō gaudentibus totum de manu extorquet superbia. Ab aliis postremò (ut ea desinam laude, quæ una præcipuè ad institutum meum facit) prodromus amoris divini: qualem eam nuncupavit antiquus ille Pater apud Rosvveidum, (L. 3. de Vit. Patr. pag. 518.) Humilitatem esse, præcurso-rem charitatis, sicut Joannes præcursor erat Christi, omnes trahens ad eum: qualèmq; itè Se-raphica Virgo Maria Magdalena de Pazzis, divinitus rapta extra sensus, descripsit: (In Vita. L. 4. c. 10.) affirmans: exercitium u- nicum ad divinum obtinendum amorem esse depressionem sui: cùm in animam humilem facer ille ignis per sese, & sua sponte illaba- tur, neque unquam cor extiterit humilitate plenum, quin etiam charitate impleretur. Vir- tus enim vero plusquam humana, neque fá- tis inter homines cognita, quoad Verbum divinum mortali carne amictum illius ludum in terris aperuit: non præceptor tantummo- do, sed absolutissimum quoque exemplar:

T t 4

adeò

adeò ut justissimè cohortari suos 'Auditores potuerit: (Mat. ii.) *Discite à me, quia sum, id quod esse vos jubeo, mitis, & humilis cordis.* Quamvis enim ea humilitatis pars, quæ inane fastum, arrogantiamque, & immoderatam gloriæ cupiditatem excludit, pro virtute habita & ab ethnicis sit, & sub modesti nomine plurimum semper commendationis inter homines obtinuerit; illa tamen ablatior humilitas, quæ omnem sui & exiftimationem averfatur, & contemptum quærit, virtus propriè Christiana est, necessarij subfidi locò antiquorum modestiæ, ceu corporis mortificatio eorundem temperantiæ à DEI Filio addita. Necessarij, inquam, subfidi locò: nam, quemadmodum temperantia, quòd inter Ethnicos mortificationis adjuvamento careret, vix quemquam invenit, à quo plenè fuerit, integrèque servata; non fecit & modestia, cum apud eosdem defitueretur Christianæ adminiculo humilitatis, plures sui laudatores, quàm veros, germanosque sectatores recensuit. Unde, qui majori inter ipsos virtutis, sapientiæque famâ exellebant, superiores communiter, & popularis auræ magis cupidos videmus fuisse: cujus nempe inanes rumusculos ex sua opum terrenarum

despicientia, & ambitiosa paupertatis professione aucupabantur, externæ quidem vanitatis contemptores, sed ab alia tantò deteriori, quantò intimiori vanitate ad eam contemnendam impulsæ. Prout jure exprobravit Diogeni Plato, cùm ille stratos à se domi honestorum hospitem gratiâ tapetes lutulentis pedibus tereret, dicens: *Calco Platonis fastum*, tranquillo vultu insultanti reposuit: ita quidem, sed videto, nè major tuus sit in proculcandis, quàm meus fuerit in sternendis tapetibus fastus: *Calcas, sed alio fastu.* (Laërt. L. 6.)

Qui tamen, nè ipse quidem, licèt vir tantus, nec veterum ulli sapientiæ famâ impar, suum dissimulare amorem gloriæ potuit, Atheneo teste professus: (L. 11.) affectum hunc, quasi intimam esse animæ tunicam, neque à se exutum priùs iri, quàm mortali ipse vita exueretur. Quo respexisse Tacitus videtur, dum scripsit: *Etiã sapientibus cupidinem gloriæ novissimam exui.* (L. 4. Hist.)

4. Quòd si aliquis ad penitiorem tam necessariæ virtutis intelligentiam requireret, ubinam ea tandem consistat, possum primò, juxta Doctorem Angelicum, (2. 2. qu. 161. a. 2.) quærenti respondere, haudquaquam consistere in mera sui ipsius, & suæ vilitatis

notitia, duplicique ratione id demonstro.
 Prima: quia talis notitia potest in anima reperiri sine ullo merito, ullaque laude virtutis: ceu re ipsa reperitur in animabus ad sempiternas orci poenas damnatis: quæ nihil se esse in tota rerum creatarum universitate abjectius, & miserius quàm certissimè agnoscunt, nec tamen quisquam eas idcirco vere humilitatis virtute esse præditas dixerit: quod cæteroquin esset necessariò dicendum, si prædictæ virtutis essentia in sola propriæ vilitatis, & miseræ agnitione consisteret. Altera verò: quia constat certò apud omnes falsæ laudis, gloriæque ambitum germanæ humilitati omnino repugnare, neque posse cum ea unquam conjungi: qui tamen non rarò vel cum clarissima propriæ vilitatis agnitione sociabiliter in anima existit: veluti exempli gratiâ, ubi quispiam, flagitiosissimæ cæteroquin suæ vitæ sibi optimè conscius, eminentis visionibus, ac miraculis sanctitatis famam apud vulgus venatur. Secundò igitur ad rem plenè absolutèque decidendam respondeo: humilitatem in eo esse positam, ut homo præclaram de se existimationem tum apud se, tum apud alios oderit, & quantum potest, fugiat: contra verò sui despicientiam utrobique ammet,

met, ac pro viribus quærat: omnésque prædicti five amoris, five odii actus ad formale humilitatis exercitium, tanquam proprios illius actus spectare: quemadmodum explicare jam deinceps pergemus, primò quidem, quantum ad eam humilitatis partem, quæ consistit in proprio honore averfando, & contemptu diligendo apud se ipsum: tum porò, quantum ad alteram, cujus partes sunt: proprium apud alios & honorem odisse, & contemptum amare.

5. Priùs tamen, quàm ejusmodi explanationem ingrediar, admonendus Lector mihi est, posse hìc etiam nimietate peccari, five sui contemptum quærendo, five bonam æstimationem fugitando, ultra quàm par est, cùmque injuria aliarum virtutum: hoc est finè illa moderatione, quæ si deest, *in vitium ducit culpæ fuga*: (Horat. de Art. Po.) prout generatim vetus Poëta affirmavit; & in præfenti hac materia speciatim definiit Angelicus Doctor, cujus judicio perinde est humilitas immoderata, atque humilitas stulta. Nam, *cùm humilitas, inquit ille, sit virtus, nihil indiscretè operatur. Non est igitur humilitatis, sed stultitiæ, si quis quodcunque abjectum sumpserit.* (L. 3. con. Gent. c. 135.) Ut aliquid igitur cer-

cer-

certi statuatur circa modum, quem hoc loco recta ratio exigit, à veritate, & charitate is videtur petendus: ità ut tunc prudens, & moderata existimari humilitas debeat, cum ejus actus neutri adversantur prædictarum virtutum; tunc verò nimia, & imprudens, cum in operando alterutri earundem repugnat. Secundùm quam regulam imprudenter exerceat primam humilitatis partem, qua homo vilis sibi quærit videri, qui, nulla veritatis ratione habita, ultro hallucinari studeret, concipiens in sui depressionem, quæ vel manifestò sunt falsa, vel nullius rationis fundamento nituntur: ut exempli gratià, si emeritus Theologiæ Doctor conaretur abecedario quovis puero indoctiorem se credere: aut vitæ cæteroqui pius judicaret, plura, & immemorata à se esse crimina, quàm ab ullo alio mortalium commissa. Ex quibus duobus judicium primum esset hominis stulti, & sibimet palam mentientis; alterum temerarii, & certam de re prorsus ignota sententiam ferentis. Unde ambo, quantum à mentis sinceritate, tantum quoque ab humilitatis ingenio abhorrent: virtutis nimirum, quæ imposturis, & fallaciis minimè gaudet, & juxta D. Teresiam adversiorem, (*In Cast. Inter. Mans. 6. c. 10.*)

idcirco tam eximiè à DEO diligatur, quia veritatis confessio est, illique tanquam fundamento suo incumbit. Secus omnino ac superbia, quæ ideo tam infensum sibi DEUM habet, quia ex mendacio oritur, imò nihil aliud tota est, nisi purum putum mendacium. Neque minùs in eadem hac prima parte legitimum transgredereetur rationis modum, qui justæ erga DEUM, ac se ipsum charitatis oblitus, vel ex vano superbiendi timore, collata sibi à DEO beneficia retractare animo nollet, vel ex præpostero sese plus despiciendi tanquam inimicum DEI studio, quoties dubitatio suboritur, num nefariæ cogitationi assensum præbuerit, præbuisse illico, divinæque inimicitæ, ac mortis æternæ reum se esse pro certo statueret. Primus quippe, ad vitandam remoti, & incerti mali aleam, nûl pensum haberet DEUM fraudare illa grati amoris vicissitudine, quæ immensæ illius liberalitati pro singularibus suis donis debetur. Alter verò, ad comparandum sibi virtutis instrumentum, minimè cæteroqui necessarium, in gravissima sese mala, & spiritali suo profectui maximè adversa, perpetuam nimirum tristitiam, extremamque propemodum vivendi absque lethalibus noxis desperationem

con-

conjiceret. Quorum utrumque si ad humilitatis perfectionem spectaret, vel quoquo modo necessarium esset, nil dubitans pronuntiaverim, fatiùs multò futurum, in inferiori aliquo virtutis hujus gradu consistere, quàm ad summum fastigium tam perverso itinere eniti. Sed enimvero neque pertinent, neque necessaria ad eam sunt; DEI quippe mœnera, cùm ex mera, & gratuita liberalitate illius profluant, quantò majoris pretii, & dignitatis sunt, tantò accipientem plùs obligant, aptiora proinde ad demissionis, quàm ad elevationis, arrogantisq̃ sensus sua consideratione inspirandos. Et tamen fas cuique est, veræ abjectionis, & miseris in se ipso deprehendere, ut liquidò ostendat, parùm à se illam cognosci, quisquis ad extremam sui despicientiam animo concipiendam falsis persuasionibus, & improbabilibus argumentis se indigere arbitratur. *Humiliatio tua in medio tui: (c. 6.)* scripsit Micheas, vel potius Micheas calamo Spiritus sanctus.

6. Idem dic circa alteram quoque humilitatis partem, cujus proprium est velle ab aliis contemni: nempe ibi pariter inconsulto majoris boni studio ultra limites abiturum à recta ratione præscriptos, quisquis vel sui apud

apud alios contemptum non finè veritatis injuria, nempe apertis mendacii captaret, vel bonam de se existimationem, famamque apud illos tueri negligeret, quibus ea incolumi, & vigente plurimum emolumentum afferre posset: minimè interim audiens sive Ecclesiastici authorem, à quo monetur, (c. 41.) *Curam habe de bono nomine*; sive Apostolum Paulum, qui ut olim Tito, sic & ipsi comendat, (c. 2.) *In omnibus te ipsum prabe exemplum bonorum operum, ut is, qui ex adverso est, vereatur nihil malum habens dicere de nobis. Nemo te contemnat.* Imò neque ipsum audiens veræ humilitatis Magistrum, & prototypon Christum Jesum, qui vult suorum sectatorum virtutem, non in suis tantum, sed in mundi quoque oculis illustrem esse: *Sic luceat, iis præcipiens, lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* (Mat. c. 5.)

7. Perspectis igitur humilitatis improvidæ excessibus, accedamus jam ad recensendos eos actus, quibus prior ejus pars ab anima DEUM amante exerceri juxta justos veritatis, & charitatis limites debet. Primus, & quasi cæterorum omnium radix, est superbæ cujuslibet de se ipso opinionis inexpl-

bi.

bile odium, ratione tum gravissimæ injuriæ, quæ per illam DEO fit; tum peculiaris inimicitia, quam DEUS cum ea habet. Nam neque magni se facere quisquam potest, nisi arrogando sibi, & tanquam suum opus intendendo bona ex gratuito DEI amore accepta, quod, juxta D. Bernardi interpretationem, (*Serm. 4. in Cant.*) est illud *osculari manum suam*, à S. Job, *negatio contra DEUM altissimum*, (*c. 31.*) practica nempe quædam infidelitas; neque ullum facile invenietur hominum genus, quod acriori, & validiori bello quàm tumidos sui æstimatores DEUS infectetur: ipsemet contra illos, quasi contra præcipuos, maximèque proprios suos hostes in arenam, & quoddam quasi singulare certamen descendens; quemadmodum ex eodem apostoli Jacobi sententia: (*c. 4.*) DEUS *superbis resistit*, D. Ambrosius collegit: *Dominus inquit, contumeliæ suæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam peculiarium certamen, tanquam dicat: meus iste adversarius est, qui me laceffit: mihi debetur ista congregatio* (*In Ps. 118.*) Cùm è contrario, quàm proprium est humilium DEUM honorare, subijcendo se illi, eumque totius boni sui auctoritatem confitendo, tam propriè iisdem conveni-

riat, ab ipso amari, & foveri, juxta illud Ecclesiastici oraculum: (c. 3.) *Humilia te in omnibus & coram DEO invenies gratiam. Quia magna potentia DEI solius, & ab humilibus honoratur.* Quæ peculiaris erga illos DEI benevolentia confirmatur tum iis apud Isaiam verbis: (c. 66.) *Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum, & contritum spiritum, & timentem sermones meos?* tum eximiiis muneribus, quæ iis semper larga manu impertiri solenne habuit, adeo ut S. Terefia scriptum reliquerit: (Invit. c. 22.) nullum se, quantum recordari potest, ex sublimioribus DEI donis in oratione accepisse, nisi quando in sui se contemptu exercebat. Quamobrem, hæc observans, qui perfectè amare DEUM expetit; quemadmodum nequit dubitare, quin & maxime ei displicebit, si vanam aliquam sui æstimationem in animo foveat, & æqualiter placebit, si eam indè omnino proscribat; ita ab amore, quo ipsum prosequitur, debet incitari ad extremum, & capitale adversus hanc odium: adeo ut firmissimè statuatur, nunquam ei vel minimum aditum intrà suam mentem præbere, sed perfectò, & universali holocausto tum ipsam, tum naturalem ipsius appetitum, tum quidquid ex ipsa voluptatis perci-

U u

pe-

peret, divino honori, amorique immolare. Neque satis esse illi debet, quod hujuscemodi odium, ac decretum semel conceperit, sed opus est, ut instaurare illud pergat, tum quoties vana quæpiam elatio suboriri in mente incipit; tum ordinariæ nonnunquam meditationis tempore, quoad frequenti illius actuum iteratione, quasi clavus repetito pluries mallei ictu, penitus, & ad perpetuitatem defixum in animo fuerit.

8. Jam verò hoc concepto de sui æstimatione penitus abolenda decreto, secundæ humilitatis exercitatio erit, sedulo procurare, quæ ad illius effectum conducunt: interdicendo nimirum sibi ipsi, nè unquam sua bona vel consideret, vel tanquam quid externum, & proprium consideret. Hujusmodi quippe consideratio pabulum est, quo sui æstimatio nutritur, quoque ablato necesse est eam prorsus deficere. Cùm impossibile omnino sit, ut aut magno habeatur in pretio qui nihil nisi vulgare, & gregarium præfert, aut ullo habeatur in pretio, cujus decora vel minimè advertuntur, vel non nisi aliena, & merè commodata spectantur. Quis igitur sancto existimationis proprio odio succensus eam funditus à se ipso extirpare

decrevit, nullum ei permittere ex prædictis pabulis debet: ac propterea primo loco cavere, nè unquam considerationis oculos vertat, defigátque in illas suas dotes, quæ, quòd secundum suum genus præcipuo in honore apud homines sint, causam ei possent sibi placendi, séque supra cæteros elevandi præbere: putà generis claritudinem, egregiam corporis speciem, ingenii acumen, eruditionem, eloquentiam, virtutem: sed quantamcunque voluptatis materiam in hujusmodi objectis mens nanciscatur, illam nihilominus inexorabili severitate ab eorum contemplatione prohibeat.

9. Sed quoniam difficile plus nimio est, cæcum penitus fieri ad tam cognata, & tam domestica objecta; curandum secundo illi est, ut si quando prædicta sua decora in oculos nolentis incurrerint; incorrupto illa saltèm, sinceròque spectet obtutu: nimirum, non juxta commentitiam præstantiæ, & magnitudinis speciem, quam innatus sui amor iis gaudet affingere; sed potius, (cujusmodi re ipsa sunt, & verè æssimanti apparent) ceu aliquid suo in genere exiguum, nec promiscuo, & vulgari modò sublimius. Quam in rem tria hæc illi proderunt: primum, si cer-

tò apud se statuat, naturale homini esse, ut pro infinito excellentiæ suæ studio, quævis sua decora convexi instar speculi amplificet, sibi que repræsentet longè veris majora. Quapropter, sicut, qui in aliquo ex illis speculis vasto parem giganti se videt, neutiquam fucum sibi fieri ab optica ea hyperbole patitur, ut, quantus ibi apparet, tantum se revera esse existimet; sic consentaneum rationi, prudentiæque esse, ut nemo suas naturæ, & virtutis prærogativas pro tam magnis habeat, quàm à proprio sui amore sibi exhibentur: sed hac secum æquissima ratiocinatione utatur: ipse mihi illas ad hunc usque modum exaggeratas proponit, ergo necesse est, non hujus, sed minoris longi modi illas esse. Proderit rursus, si se ipsum circa quasvis suas dotas cum iis mortalibus conferat, qui præcipuam in iisdem consecuti sunt laudem: obsecrans, quàm curta, & exigui pretii sua in hujusmodi collatione appareat supellex, quàm tenuis scientia, quàm mediocre ingenium, quàm inops facundia, quàm vulgaris virtus, quàmque imperfecti, & despiciendi, quos in lucem edidit, mentis suæ partus. Proderit demum, si quoties hoc, vel illud suum decus sub magnifica, & plausibili specie sibi obver-

sator, mentis acie perlustret infinitè ulterio-
 rem præstantiam, quæ acquirenda in eo sibi
 superest. Fieri enim minimè poterit, quin
 præ illa residuæ, intactæque adhuc perfecti-
 onis immensitate, de suo quocumque pro-
 fectu erubescat, cogaturque cum Jeremia di-
 cere: (*Ihr. c. 3.*) *Ego vir videns paupertatem*
meam. Quemadmodum de scientia sua palàm
 dixere tum Socrates, sapientissimus inter ho-
 mines ætatis suæ habitus, qui tamen profite-
 batur: (*Plat. in Apol. Socr.*) Hoc unum à se
 sciri, quod nihil sciret; tum Salomon, cele-
 berrimum Palæstinæ oraculum, qui hoc de
 se testimonium posteritati in Proverbiis reli-
 quit: (*c. 30.*) *Stultissimus sum virorum, & sa-*
pientia hominum non est mecum: & quemadmo-
 dum communiter de se omnes testantur, qui
 doctrina, & virtute ante alios excellunt: quos
 videmus, quantò in utraque ampliùs profe-
 cerint, tantò de progressibus suis sibi minùs
 placere, meliùsque intelligere, quàm exiles
 ii sint, præ nondum emensis, nec emetiendis
 unquam spatiis, quæ ulteriùs, ulteriùsque in
 infinitum progredi licet. Similiter ac, qui
 editi montis cacumen conscendit, tunc agno-
 scere incipit, quàm longè à cælo absit, quod
 antea, dum in plano versaretur, sibi videba-

tur tacturus, ut primùm eò conscendisset. Quamobrem, qui de sua quapiam seu naturali, seu morali perfectione contentus foret, tanquam si abunde locuples foret, hac ipsa opulentia suæ persuasione sese inopem probaret, nec alio argumento opus esset, ut iure ad eum posset transferri amara illa in Apocalypsi Præfulis Laodiceni objurgatio: *Dives, quod dives sum, & locupletatus, & nullius eger, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. (c. 3.)*

10. Nihil tamen majori adjumento illi fuerit, ad subtrahendum vanæ existimationi sui pabulum, eamque penitus ex mente exturbandam, imò & impossibilem sibi reddendam: quàm si probè intelligat, & firmissimè sibi persuadeat, quidquid boni in censu suo habet, sive exiguum, sive magnum tandem sit; non esse aliquid suum, hoc est proprium sibi viribus partum, sed totum rem DEI esse ex cujus gratuita liberalitate & primò illi accepit, & habere nunc pergit. Cum enim nemo existimari mereatur ob aliena, sed sua tantum bona, ex prædicta veritate apertissimè colliget, quamvis ipse oraculum detestrinæ, prodigium eloquentiæ, sanctitatis exemplar, absolutissimùmque esset perfectio-

num omnium inter reliquos homines diver-
 farum compendium; quia tamen nulla ex his-
 ce prærogativis proprium quid ipsius est, ni-
 hilo sibi adesse plus causæ, cur propter tam
 amplam earum possessionem magni se faciat,
 quàm si nudus ab iis penitus foret; juxta evi-
 dentissimum illud D. Pauli enthymema: (I.
ad Cor. 4.) *Quid habes, quod non accepisti? Si
 autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepe-
 ris?* Quocirca, cui certò id constet, penitus-
 que infixum menti habeat, nulla ille alia re
 indiget ad præclaram sui æstimationem om-
 nino abolendam: neque ultrà opus jam ha-
 bet, juxta industrias, & artes paulò antè à no-
 bis propositas, sive mentis oculos à suis præ-
 rogativis avertere, sive easdem solerti ratio-
 cinatione extenuatum ire: sed & in ipsa, quan-
 tæcunque earum magnitudinis contemplati-
 one, perget se (qualis duntaxat à se ipso est)
 abjectissimi locò nihili ducere: non aliter
 scilicet ornamenta illa à DEO sibi superaddi-
 ta intuens, quàm ut imperatoriam chlamy-
 dem è paxillo ligneo suspensam: cujus gratiâ
 nîl paxillus majoris pretii adipiscitur, neque
 ullum se jactandi jus habet. Atque hinc san-
 ctissima DEI Parens Maria, quamvis singu-
 larem congestorum ab eo in se munerum ex-

cellentiam, paratamque sibi idcirco posteritatis totius venerationem optimè nôisset, prout hæc prophetici ejus hymni verba ostendunt: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna, qui potens est;* nullam tamen ex notitia hujuscemodi affirmationem sui hausit, nec se ipsam propterea, sed Dominum solummodo magnificavit, qui gratuito munificentissimæ bonitatis intuitu *sue ancillæ humilitatem respexerat*: limpidissimo æris speculo similis, quod solis radiis perfusum, eos illico omnes, nè minima quidem lucis scintilla sibi usurpata, in authorem reflectit. *

II. Et sanè, quòd nullum homo ex suis bonis à se ipso, perque propriam virtutem habeat, sed omnia DEO accepta debeat referre, veritas est, quæ à nemine possit in dubium vocari: tum quia, juxta D. Anselmum argumentum, cum homo suam à se ipso essentiam non habeat, multò minùs habere à se ipso potest suæ essentia ornamenta: (*De Casu Diab. c. 1.*) *Quod se ipsum à se non habet, quomodo aliquid à se habet?* tum propter dilectissima, quæ in sacrarum Literarum monumentis occurrunt, testimonia. Cujusmodi sunt sive hæc D. Pauli: *Gratiâ DEI sum id,*
quod

quod sum. Quid habes, quod non accepisti? Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat DEUS. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est. DEUS est, qui operatur in nobis velle, & perficere; sive illud D. Jacobi Apostoli: (c. 1.) Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum; sive illa denique ab ipsomet Dei Filio edita, quando & discipulos suos monuit: (Joa. 15.) *Sine me nihil potestis facere*; & de se ipso, quatenus homo erat, professus est: *Non possum à me ipso facere quidquam.* (Joa. 5.)

12. Stabilita porrò, & extra controversiam posita hac veritate, legitimo ratiocinationis progressu ex ea sequitur, neminem inter homines esse, qui aut ullum ex suis bonis intueri possit ceu proprium, aut illud ceu tale non intuens, plus de illo gloriari, quam si expers omnino illius foret. Et, quantum ad bona, quæ per meram DEI largitatem, & finè ulla operatione sua habet, qualia naturalis quævis prærogativæ, & plurima cælestis gloriæ sunt dona, meridiana luce clariùs id patet: quemadmodum meridiana manifestus est luce, neminem, eò quòd Aristotelis,

U u 5

vel

vel D. Thomæ opera domi suæ habeat, com-
 prehensam iis doctrinam meritò posse, qua-
 si suam intueri, deque illa sibi plaudere, &
 plausus aliorum captare. Præsertim quòd
 dona hujus generis ita DEUS largitur; ut eo-
 rum dominium sibi uni retineat, & tantum-
 modo usum fructum homini indulgeat, ne-
 que hunc ipsum perpetuum, & certum, sed
 qui nullo non temporis puncto abrogari pro
 voluntate ipsius queat. Quapropter, cum
 nemo justam habeat gloriandi causam de bo-
 nis usquequaque alienis, hoc est, quorum non
 ipse, verùm alter quispiam sit author, & Do-
 minus; quemadmodum certissimè constat,
 non hominem, sed DEUM hujusmodi bo-
 norum esse authorem, & Dominum; sic cer-
 tissimè hinc sequitur, nullam homini justam
 causam suppetere, cur ea in rerum suarum
 sensu connumeret, curque honorem ex illis
 sibi potius usurpet, quàm DEO uni, cuius
 tantummodo sunt, totum relinquat: ac pro-
 inde, qui magnum se illorum ergò, & præ-
 clarum existimaret, facturum rem hominis,
 prout Apostolus scripsit, seducens se ipsum.
Si quis, ait ille, se existimat aliquid esse, cum ni-
hil sit, ipse se seducit; imò rem hominis, pro-
 ut Senecæ visum est, longè stultissimi. (2)

74.) *Quid enim stultius, quàm aliquem eo sibi placere, quod ipse non fecit? Utamur illis, non gloriemur.* Neque mihi objiciatur, ingenio, eloquentia, & id genus aliis naturæ dotibus condecorari, & illustriorem reddi hominem, cui illæ contigerint. Nego enim, quidquid ad condecorandum se habentem valeat, valere itidem ad merendum illi æstimationis, honorisque incrementum, si cæteroqui aliena omnino res sit, & ad quam nihil ipse pro virili sua parte contulerit. Quemadmodum diadema, & paludamentum regale, si fictæ statux superponantur, exornant procul dubio, & pulchriorem visu illam reddunt: nec tamen, qui delectatur splendidiori illa ejus specie, pluris quoque idcirco eam facit, adeò ut marmoreis, vel æneis simulacris æquiparet, inque majori habeat, quàm lignæ imaginis pretio.

13. Quòd verò de alio etiam bonorum genere, ad quæ homo sui aliquid confert, ceu sunt actus, habitusque virtutum, idem sit proportionaliter dicendum, nimirum nè hæc quidem justam illi rationem præbere, sese de illis tanquam de re propria efferendi, & jactandi, planum cuivis cognitu est: nam quæ tandem pars illa est, quæ propriè ad ipsum per-

pertiner? Talis profectò, tamque parùm dis-
 stans à nihilo, ut ridiculum videatur, quem-
 quam de illa gloriari, & velle, ut illius cau-
 sâ rectè factorum laus sibi adscribatur. Quo-
 que id luculentius pateat, fingamus, homi-
 nem incurabili morbo laborantem, & despe-
 ratâ omnino salutis, novi alicujus excogitati
 à medico pharmaci ope, integram sanitatem
 recipere: sive puerum pingendi penitus igna-
 rum, Apelle aliquo ipsius manum moderan-
 te, egregiam conformare, omnibûsque suis
 numeris absolutam imaginem. In utroque
 certè horum effectuum tam ægrotus, quam
 puer nonnihil sui habent. Si enim detre-
 ctâssent, aut prior propinatam à medico sa-
 lutiferam potionem sumere; aut alter diri-
 gendam magistro manum præbere, neque il-
 le suo è morbo emerisset incolumis, neque
 hic vel unicam ex præscripto artis lineam in
 tela duxisset. Quæro jam, num ob tantu-
 lum momenti, quod contribuere ad effectum
 justam rationem habeant sese extollendi, pro-
 que authoribus illius venditandi: prædicato-
 res, alter quidem: ego eventu tam miro de-
 positam mihi incolumitatem restitui; alter
 verò: meum hæc tam absolutæ artis pictura
 opus est? Minimè equidem gentium. Hic
for-

fortè ità ineptirent, nemini non audientium deridiculo essent, & pro plaufibus sibila, sannasque referrent. Totum quippe illius curationis, & picturæ decus in solerti inventione occulti remedii, inque penicilli artificiosè tractandi peritia confisteret, quorum neutrum ad eos pertineret; non autem in mero pharmaci haustu, inque patièdo artis alienæ ductu, rebus cuius è vulgo factu obviis, & quas solummodo ipsi possent sibi arrogare. Quid ergo? Nónne hoc ipsum in præfenti re nostra palàm licet agnoscere? Nempe, si quodlibet Christianæ virtutis opus ad æstimationem vocemus, totam illius efficiendi vim, & facultatem à DEO tantum eam gratis largiente proficisci intuebimur: neque hominem, dum recti quid facit, aliud quidquam præstare, nisi quòd oblati à Deo auxiliis uti non renuit: sed prædictorum, ægroti, puerique instar, libero illi assensu curandum, & rite dirigendum se præbet: imò neque ad liberum hunc assensum, quem saltem prædicti, ægrotus, & puer per se ipsos, & sinè ulla alienæ opis indigentia exhibere possent, idoneas ipsi vires à se uno, & citra divinæ gratiæ auxilium suppeterè. Cùmque se ità res habeant, ratione hujus minimæ partit,

tis,

tis, quam solam in supernaturali opere agnoscere potest ut suam, imò quæ ipsa etiam munus, & opus adjuvantis DEI est, quis volet cristas attollere, fastuosoque vultu patrum à se opus intueri, & de illius effectione sibi potius gloriam vindicare, quam DEO grates rependere? *Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? (Isai. c. 10.)* Ah nè, quæso, nè ità, si quid pudoris in fronte, si quid rationis in animo est: sed illorum potius viginti quatuor Seniorum exemplo, qui, ut in Apocalypsi habetur, (c. 4.) *Mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: dignus es, Domine DEUS noster, accipere gloriam, & honorem; prosternat ipse quoque ante supremi bonorum Largitoris pedes, tanquam liberale ipsius donum, quidquid in se agnoscit virtutis, dicens cum Isaia: (c. 26.) Omnia opera nostra operatus es nobis. Tuum est Domine, quicquid boni egi, neque circa illius effectionem aliud ego, quàm liberum, & non contumax instrumentum fui. Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (L. 1. Paral. c. 29. Ps. 113.)*

14. Adde, quòd hoc ipsum tam exiguum, quod homo ad supernaturales virtutum actus

actus pro virili sua parte contribuit, non re-
jiciendo, quam DEUS sibi offert opem, ne-
que repugnando illius amicis impulsibus,
haudquaquam gratuita liberalitas, sed debiti
vectigalis pensitatio est. Cum nihil à nobis
fieri in obsequium DEI possit, quod non ei
tanquam nostræ servitutis tributum, vel tan-
quam justa responsio pro incomparabilibus
ejus beneficiis debeatur. Quapropter, ceu
qui creditori debitam pecuniam solvit, nul-
lam idcirco occasionem habet, gloriandi a-
pud ipsum, laudémque, & gratiarum actio-
nes ab ipso expectandi, tanquam si gratuito
illum munere sibi obligasset: quin imò, si
non totum, quod debebat, ei reddidit, habet,
unde erubescat, & cur oret veniam, séque
excuset de reliquo argento, quod ad plenam
solutionis summam etiamnum deest; ità cum
nos DEO totius nostræ essentia, omnium-
que nostrarum facultatum, & operationum
debitores simus, quantumvis multa, & egre-
gia in ipsius obsequium fecerimus, tantum
abest, ut contenti remanere, & gloriosi pos-
simus, etsi opera illa aliquid nostrum forent,
nostræque unius virtutis effectus; ut potius
videntes, quam penè nihil omnia sint, præ-
tantò majori nostrarum obligationum sum-
ma,

ma,

ma, vultu dejecto, & humili verecundia suffuso debeamus fateri: *Servi inutiles sumus, & nè id quidem, quod debuimus facere, fecimus.* Præsertim quòd hæc ipsa tam curta cæteroqui solutio, quemadmodum minimè à nobis fieri potest sinè prævenientis, & concomitantis divinæ gratiæ adjutorio; sic novum est DEI erga nos beneficium, & novum proin ad priora additum nomen, quo ipsi arctius obstringimur: utpote creditori, *cui*, miro quodammodo (secundùm acutam, sed æquè solidam Cassiani observationem) *hoc ipso debetur amplius, quò magis solvitur.* (Coll. 24. c. 1.) Uide fas est cuivis colligere, æquàmne habeat gloriandi, an veriùs erubescendi de suis bonis operibus causam, qui neque illa efficere per se ipsum, & propriis viribus potest, neque illa efficiendo, nisi minimam DEO sui debiti partem persolvit; neque aliter hoc ipsum præstat, quàm ità, ut debiti summam augeat veriùs solvendo, quàm minuat.

15. Hæc igitur certissimas veritates iterum, iterumque à nobis ruminari par est, ut quædã perfectè easdẽ menti imprimamus. Id enim ubi evenerit, nulla jam seu naturalium, seu supernaturalium decorum excellentia ad nos vano fastu, & magnifica nostri opinione

inflandos valebit: sed ubique distinguemus inter id, quod merè à nobis, interque id, quod ex benignitate DEI sumus, hoc justo in pretio, illud autem pro verissimo nihilo habentes: adeò ut, etiamsi quotquot in terris sunt homines, conspirarent, ad nos ob egregias nostras dotes, & illustria facinora effusissimis laudibus decorandos, inque cælum tollendos vel tunc nihilominus in eadem nostri despicientia perstaremus immobiles. Qualem Apostolorum Acta testantur D. Petrum fuisse; post gradiendi facultatem claudo impertitam; qui ad templi fores jacebat mendicans. Neque enim quidquam sibi sumpsit de honore, què attonita populi multitudo ipsi exhibebat, ceu authori tam insolentis prodigii. Sed circumfusas, mirantésque turbas conatus est à concepta sui æstimatione deducere, dicens illis: (c. 4.) *Viri Israëlita, quid miramini in hoc, aut nos quid intruemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare?* pergénsque porrò ostendere, haud aliud se in eo facto fuisse, quam merum divinæ virtutis instrumentum, unius dignæ exaltari in omnibus, quæ per homines facit.

16. Video quidem, actuosam, & efficacem hujus veritatis notitiam rem esse non

X x

pas

passim, & in omnibus reperiri obviam: quia
 imò paucos admodum existere etiam spirituum
 aliorum virorum, & disertè fatentium, nihil
 hominem boni à se ipso habere, qui licet à
 generatim loquantur, & sentiant, si tamen
 deinde eximii aliquid decoris in se advertant,
 illiusque causâ ab aliis honorari se sentiant,
 oblitterata saltè quantum ad se ipsos gene-
 ralis illius veri specie, non æquè propemo-
 dum sibi placeant, seque extollant in sua men-
 te, & cæteris præferant; ac si certò exillime-
 rent, decus illud rem suam propriam suis
 viribus partam esse. Sed enimvero, qui
 altè imbutus est universali illo cujuslibet esti-
 mationis propriae odio, quod supra primam
 esse humilitatis actum, & necessarium reli-
 quorum omnium fundamentum statuimus,
 facile huic factu erit, ut practicè, & in par-
 ticulari quavis materia intelligat, quidquid
 boni in se apparet, eleemosynam esse, à divi-
 na benignitate sibi impertitam, nihilque cari-
 tatis esse, cur se accipientem magnificat, sed
 cum duntaxat largienti DEO debitorem se
 agnoscat. Nam quò propendet affectus, eor-
 dem iudicium quoque ferri consuevit; & iux-
 ta Angelici Doctoris effatum: (2. 2. qu. 156
 a. 3. ad 2.) *Quod quis vehementer desiderat, se*

tile credit. Quapropter ceu superbus, cum nihil flagrantius præclara æstimatione sui appetat, facillimè pro vero accipit, assiduèque præfens menti habet, quidquid illa dignum se probat; sic verè, atque ex animo humilis, cum eandem acerrimè oderit, & exclusam à se penitùs velit, nullo labore indiget, ut veritatem prædictam, quæ huic voto suo favet, firmissimè sibi persuadeat, & sub expressa, & vivida specie continenter præ oculis gerat.

CAPUT XXVII.

Perfectum DEI amorem exigere, ut non modò vanam omnem nostri existimationem penitùs à mente ablegemus; sed etiam studeamus quàm abjectissimè de nobis sentire, omniumque nos mortalium contemptissimos ducere.

DArum tamen est perfectæ humilitatis studio, magnificam sui existimationem odisse, omnibusque modis proscripsum ex animo ire, avertendo nempe oculos à præclaris suis dotibus, earundem pretium idoneis

X x 2

con-